DIVÆ
CATHARINAE
ALEXANDRINÆ

LILIA & ROSAS,

Pro LACTE & SANGVINE spargebat Collegium Burdegalense Societatis IESV,

In Annuum Paana & Epithalamium, manu ac stylo

LEONARDI ALAMAII
Eiusdem Societatis.





PETROCHORAE,
Apud IOANNEM DALVY, Typographum & Bibliopolam Regium.

M. DC. XXXIII.

DOMINIS SVIS
ADMODVM VERENDIS,
PATRONIS PLVRIMVM COLENDIS,
Magiſtris Multùm Audiendis:


PATRIBUS AMPLISSIMIS
Academiæ Burdegalenſis, Rectori,
Cancellario, Univerſiſque
Doctoribus, S. P. D.

ACADEMICI, CLIENTES,
Auditores Collegij Burde-
galenſis Socie. IESV.



EREBANTVR *hi duo flores (Patres Ampliſſimi) rigidiorem cæli auram experiri, niſi iam veſtram aurem propitiam nacti ſuarum virium periculum feciſſent.*

Itaque si minùs beneuolis aliorum oculis vtentur, statim ad aures vestras prouocabunt. Quanquam quos probauit auris, non improbabit oculus, cùm magis afficiant visi, quàm auditi flores. Horum qualiscúmque fuit odor secundo per vos rumore dissipatus, latiùs quàm volebamus, emanauit, eísque quam ne vnius quidem dieculæ vitam sperauerant, multorum annorum dedit. Cælum enim & solem vobis quasi susceptoribus, imò parentibus aspiciunt, qui sterili solo sati, & hyeme nati vix se vmbra, apricóque defendebant. Perficite denique, vt quoniam vestra commendatione suauiùs fragrant, & ex areola sua in aream, ex aure vestra in auram prodeunt, beneuolentia quoque vestra, & CATHARINÆ *lacte largiùs irrigati vberiùs fruticentur. Valete.*



CATHARINA LILIATA,
SEV
LILIVM VIRGINITATIS,
ORATIO.



OLENNIS ista, multósque iam annos instituta, nec vnquã interrupta laudatio difficiles mihi dicendi, vobis audiendi partes imponeret (Rector Academiæ amplissime: Cancellarie clarissime: Doctores meritissimi: Academicique Burdegalenses florentissimi:) nisi mihi difficultatem orationis, satietatem vobis aurium eximeret argumenti veteris noua quædam & inusitata species, quæ si minùs animos reficere, recreare certè oculos; si minùs oblectare aures, nares suauissimo possit odore perfundere. Affero enim vobis qui senescente pubescat, oriatur occidente, séque autumno claudente aperiat, &

natura tota moriente viuat è terris transcriptus in cælos: affero, inquam, specie amabilem, odore amœnum & colore candidum florem, qui etsi librato tortoris ferro rapi, nunquam tamen impuro carpi potuerit vngue tyranni omnium maximi, nempe Maximini. Esto igitur, veteri more, institutóque laudare Catharinam decantatum sit & vetustate iam circumscriptum argumentum: erit verò nouum hoc anni tempore natiuum ac vegetum florem, eúmque non ex subacto quodam solo vel area, sed è medio senticeto, arenáque lectum circumferre: erit etiam singulare hoc seculo, istáque naturæ humanæ imbecillitate vnius puellæ pugnã cum tot hostibus renouare: erit denique rarum ætate vernans, amore croceum, & candore virgineum lilium exhibere. Nec verò fortasse magis diuinum fuit Dorotheam quas summa hyeme Theophilo rosas inter ipsam mortem ac tormenta sponderat, è condicto mittere, quàm me vobis Lilium Rosis affusum, hoc est, Virginitatis gloriam cum Martyrij laude coniunctam polliceri, præstare verò Catharinam. Sed quanquã vel tua illa toga (Rector Academiæ magnificentissime) vsitatum Academiæ & dignitatis huius insigne, serico quidẽ texta purpureo, at papauerata etiam & mure pontico suffulta; etsi hoc insuper anno Lilia Gallica cum Rosis Anglicis fœdere vtinã felici coniuncta, propemodum suaserant, vt pudoris hocce Lilium cum Martyrij rosa, sicut olim certaminis & victoriæ,

ita iam laudis ac triumphi societate coniungerem: nolui tamen candorem eum, quem Deus ipse vel miraculo distinxisset, permiscere: nolui lac illud cruore inficere, cuius latex è tam nitido ac syncero fonte dimanaret: nec dubitabam malle CATHARINAM posita dibapho, paternáque purpura, candidam Christi sponsam, Martyriíque candidatam, quàm croco illustrem, & regia stirpe proseminatā videri. Abscōdat igitur hodie Dorothea suas rosas, vt promat, explicétque suum cum Maria & Gabriele Lilium Catharina; quin & patiatur inuicta pugil de Martyrio suo taceri, si suum velit pudorem atque integritatem virgo prædicari.

ECCLESIAM Christi sponsam longè pulcherrimam quoties mihi libet animo depingere, & multarum eam varietate virtutum florentem aspicio, toties mihi videor consitam omni florum genere aream quandam intueri: in qua cùm patientia violas; diuinus amor amaranthos; contemptus opum calthas; species animi narcissos; vis & fortitudo hyacinthos, & ligustra Castitas æmuletur: tum sanè principes illæ duæ virtutes Virginitas & Martyrium florum omnium longè primos atque nobilissimos lilia & rosas odore iuxtà & colore quamproximè videntur imitari. Hoc verò est in tanta florum multitudine ac varietate mirabile, quòd licet inter se contendant atque discrepent spectabili dissimilitudine colorum; nunc enim ex

albo ſplendentes fulgent & candidi, modò nigrorem inducunt ex atro, mox è purpureo vibrant incendentes: iam è cæruleo cæleſtes, è luteo terrei, è cyaneo triſtes, è verno iucundi variant& afficiũt; è diluto ſubinde euanidi, ex obſcuro ſaturati, è ſubcineritio pallentes, ex igneo ardentes, è croceo flaui, è cyprio cærulei, ac denique è vario atque multiplici incerti & aberrantes oculis ſuauiſſimè illudunt: incredibilis eſt tamen in tanta perturbatione ordo: mirabilis in tanta varietate ſimilitudo: ſingularis in tanta coniunctione diſcretio; quòd nullum errorem varietas affert, nullam perturbationem multitudo, nullam diſſimilitudinẽ diſcretio; contra verò conſtituat varietas ipſa diſtinctionem, ordinem multitudo collocet, ſummáque comparet diſſimilitudo ſumma coniunctionem. Neque enim purpura Martyrum candore virginum exalbeſcit, aut virginum candor purpura Martyrum infectus obſcuratur: ſed & candor ruborem incendit, & ex rubore candor eluceſcit; túmque maximè diſtinguntur, cum inter ſe maximè confunduntur, tum ardent & vibrant, cùm alij alijs obſcurátur. Verum cùm ceteri flores pullulent & fruticentur in hac areola vberiùs, Lilia tamen & Roſas, quia & filij ſanguine, & lacte matris irrigantur, effundi aſpicimus, & gaudemus ea lætiùs, latiúſque admirabili quadam & diuina indole propagari.

QVANQVAM non ſunt Lilia ex ea florum ſobole, quæ feliciùs in nitido quodam apricóque ſolo proſeminentur:

profeminentur: ſæpe videlicet ſe Lilia ſaltus inter & vepreta trudunt maiori copia & vbertate, quàm ſi hominum manu ſata, cultúque ſubacta curarentur. Et verò Chriſtus cùm Liliorum aliquando maieſtatem, & ornatus elegantiam commendare apud homines voluiſſet, ea ſolùm ſpectāda & conſideranda propoſuit; quæ in agris, locíſque ſylueſtribus ſponte ſua prouenirent: nec illa commendauit, aut celebrauit, quæ cura mortalium impenſior eicuraret, corrumperet induſtria inſania ſuffocaret. Lilium ille quidem candidiſſimum atque pulcherrimum extitit; in ſterili ac deſerta nihiloſeciùs valle natus eſt, inter ſentes educatus, ab iiſdémque nouo doloris & honoris genere vbi iam adoleuerit, ambiendus. Quò fit, vt nemo hinc cauſam huius noſtri floris deſpiciendi arripere debeat, vnde potiùs eius ſibi ſuſpiciendi occaſionem datam intelligat. Fateor Catharinam in alta illa Aegypti barbarie natam, nec inficior ipſam primas in medijs Ethnicifmi vepretis ieciſſe radices: ſed contendo nihil omninò labis aut vitij ex ſoli cæliue natura contraxiſſe: imò eam animi pulchritudinem adeptam eſſe, qua non modò Maximinus, qui nuptias ei magnificas perſuadere conatus eſt; ſed Chriſtus ipſe, qui eam ſibi oblato ſpopondit annulo, caperetur. Nam quantum lilia proceritate caudicis, foliorum amplitudine, maieſtate verticis & coloris candore reliquis præſtare floribus intelliguntur, tantum ſine dubio Catharina omnibus eius ætatis

virginibus ſpecie vultus, nobilitate generis, ſcientia artium, magnitudine animi, mentis & corporis integritate præcellebat. Certe Liliorum mihi pulchritudinem dignitatémque conſideranti venit in mentem quod naturæ venator ille ſagax indagatórque pronunciauit, approbare, naturam cùm reliqua, quæ cernuntur in terris infinita, non tam feciſſe, quàm fudiſſe videatur; verita nihilominùs ne ſibi primo conatu lilij machinatio, planè mirabilis & diuina ſuccederet, experiri ante in conuoluulo minoris dignitatis flore voluiſſe, quaſi aberratura videretur, niſi aliquod ſummæ poſuiſſet artis rudimentum: Ita Deo, tanquam non poſſet eximiū & præſtans Virginitatis opus ad ſummum vnâ operâ conatúque perducere, rationem atque exemplū duabus è feminis ſanè lectiſſimis, ex Auditha nimirùm & Debora cælibatus & caſtitatis inferiorem ſtatum ſtudioſè colentibus capere placuiſſe, vt poſteáquam in iſtis caſtitate deformaſſet eximius artifex, in Maria deinde Virginitate perficeret natiuæ formam integritatis: ex qua eam denique aliæ omnibus ſeculis infinitæ velut ex abſoluto quodam exemplo propagatam arriperent atque compararent: adeò vt ex vno iam plura lilia ſererentur, fœcundiúſque iam ipſo matrimonio ſterilis hucúſque virginitas ſalua integritate ſoboleſceret.

QVID Ergo mirum videri debet ſi tantam opus hoc vtrumque præſtantiam conſecutū ſit, vt nihil neque natura, neque gratia excellētius in terris, ſo-

ciatâ & quasi collatâ inter se operâ vt consilio effecerint, cùm in eo elaborando & accurando opifices illæ duæ in primis insignes quidquid vel industriæ, vel facultatis habuerunt, contulisse & cõsumpsisse quodammodo videantur. Lilia enim erecto præ alijs caule sublimia, mucronatis ad apicem interpuncto, circúmque striatis latè folijs cochleato: colore verno quidem, sed è cæruleo nonnihil nigricanti, erumpentibus in summo è suo calyce floribus, iisque, quà primùm oriuntur, angustis, tùm sensim & suauiter in orbem explicatis, eóque iam obducto supinatis: tribus interim quasi traducibus in medio flore malleorũ instar enascentibus, triangulari è croco vertice capitatis. Sed, vt nihil dicam de odore graui profectò & amaro, quàm est ille candor eximius atque amabilis, qui neque solis ardore summo, neque imbri vllo lutulẽto inficiatur? cedit tamen illa species eximiæ tuæ Catharina pulchritudini: horum foliorum candor, ebore cygnóq; senescente candidior tui pudoris integritati: eorũ succus vtcúnque albus & lactescens tuo illi lactiẽ collo erumpenti de præstantia & dignitate coloris concedit: vincit herbescentem illam viriditatem indoles ista tua regia & aurea, superat amœnitatem soboles hæc vernans & læta virtutum. O lilium forma speciéque præstantissimum! quod vana quidem superstitio seuit, Christus in Ecclesiam transcripsit, Maximiníque ense lectum, & proprio lacte irrigatum traduxit, ac collegit in cælum; vt terras

inde flagranti deinceps odore, amœnitate, pulchritudine recrearet. Erat igitur incredibili corporis ſpecie formáque Catharina, quam ſi mihi deformare liceat, dicam fuiſſe ipſam ſtatu corporis pluſquam mediocri, erectiore tantillum fronte, nec maiori: oculis cæſijs & acribus: ſeuero aliquantulum, ſed nihil arroganti ſupercilio: naſo modico & incuruo: genis clementer aſſurgentibus, leuitérque porrectis: breuiore ore, labijs æqualibus, dentibus candidis: vultu toto graui atque compoſito: pelle non cultu, ſed ſponte ſua molli: colore albo quidem, ſed leui ſanguinis vt purpuræ ductu ſuffuſo, tanquam Roſa nataret in lilio, & Virginitatem ille candor, Martyrij palmã affuſus ille ſanguis polliceretur. Ea enim fuit forma corporis, ea oris, & vultus dignitate Catharina, vt eam Maximinus Orie̅tis Imperator de nuptijs interpellaret: ea verò animi ſpecie atque præſtã tia, vt eam ſibi Chriſtus pariter ſponſam præoptaret. O longè maiori ratione ſuſceptũ pro flore, quàm olim pro pomo certame̅! pugnabat cum Chriſto Maximinus: cum clementiſſimo Domino impotentiſſimus Tyrannus: cum Deo vilis homuncio in amoris contentionem veniebat. Vicit tamen Chriſtus (Auditores:) cui enim meliùs virgo quam virginis filio, lilium quàm roſæ, puella pulcherrima quàm hominum ſpecioſiſſimo coniungi matrimonio potuiſſet? hoc verò ſuperior erat Catharina lilijs quòd eorum externa ſit, & foras emineat, eius interior eſſet, atque in re-

cessu animi posita pulchritudo. Nam si ea, quã ipsa negligebat, forma corporis, tantã ei apud homines beneuolentiam colligebat, quantam gratiam promerebatur apud Deum species illa mentis & animi quam omni studio atque arte illa procurabat, ille adiuuabat ad æmulationem, poliebat ad ornatũ, ad exemplum denique perficiebat.

FLORVM. Vbi figuram speciémque perscripseris, pulchritudinis præterea excellẽtiam odor colórq; vel maximè commendant: quæ duæ res quantum hunc nostrum celebrent atque nobilitent, is ignorat solus, cui neque candor ille virgineus placere, neque virtutum odor, sanè suauissimus, probari potest. Etsi enim omni pulchritudinis ornatu lilijs superiorem esse Catharinam ostendimus, candore tamen tantò ei lilia inferiora sunt, quantò vmbræ color, natiua arte factis, vera fictis antecellunt. Vnde enim, amabò, tam nitido splendentíque candore lilia vibrant, nisi quia vt rosas Veneris sanguine; sic ipsa lacte Iunonis orta fruticasse poëtæ tradiderunt? Sed nihil commenti simile confingã, si dixero, qua nocte Catharinæ Christus in complexu sinúque matris amabili specie obiectus est, aliquid ex illis vberibus papillísq; virgineis diuini roris vel sponte sua depluisse, vel aberrantis colludentísque pupuli manu expressum esse, quò hæc Aethiops assa sole lauaretur, Vacciniúmque istud Ligustro, aut Rosa Lilio mirabili planè commercio mutaretur. Catharinã quidem, cùm primùm in eius cons-

pectum colloquiúmque venisset, candidulus ille lautulúsque pusio respuebat, infectúmque non tam aliqua sorde vultum, quàm imbutam peccati labe mentem deprecabatur: sed posteáquam expressis terriculi & monstri huius horrore lacrymis puer, & lacte pressis mater ipsa mammis, hic sponsam, illa nurum irrigasset, in eo se tantopere candore lacteo amabat ille rubicundus, vt apud eum reliqui præ lilio flores, & alij præ candido colores iacerent, atque vilescerent: sed nulla re magis se lilium Catharina probauit, quàm cùm nullo ardore libidinis se passa est infici: quàm cùm nullum ex his quas habebat ipsa magnas, maioréśque tyrannus offerebat opes, puluerem lutúmque cõtraxit; cúm alij è multis flores vel ætatis vi æstúque concidant, vel imbrium & venti tempestate abjecti in terram natiuum cum vita colorem, & simul odorẽ amittant. Aetas, forma, opes, nobilitas Catharinam ad voluptates inuitabant: minis in eam Maximinus detonabat: in imbecille corpusculum grando frequẽs ac procella verberum depluebat: sed nihil horum aut huius lilij odorem dissipabat, aut candorem leuiter inficiebat: nam & ille virtutum cælestis odor inter ipsos ventos atque imbres ex hoc præstanti myrothecio arculáque regnabat, & candor ille virgineus impuro licet quodam stygis afflatus halitu, tanquã in consita aliqua lilijs areola, vim suam ac pulchritudinem obtinebat. Atque hunc Virginei pudoris candorem, quia omni vita sponso suo amantissimo

sponsa dilectissima integrum semper illæsúmque conseruarat, ipse tam multis eum, támque insignibus ad memoriam monumentis testatum esse voluit, vt nihil magis esset pudore Catharinę celebratum. Minister victus aliquis fuit deligendus, qui Catharinæ longa in carcere inedia enectæ cibum de cælo afferret? non corui, sed columbæ delectus est factus, qui ad illam columbulam commearet. Conuehendum fuit in montem Synai spoliatum vita tormentorũ acerbitate corpusculum? quibus, quæso, pretiosa illa vectura commissa est? puris ab omni labe mentibus, Auditores, videlicet Angelis, qui, quoniam contagione carent peccati, integriq; mente sunt, hoc ipsi soli lilium attrectare manibus, atque humeris portare debuerunt. Truncato demũ capite cruorem expectatis é vulnere sequuturum? horum profecto liliorum candorẽ ignoratis: candidum erat istud, non cruentum; ideóque lac, non cruorem dedit. O lilium alijs hoc ipso quoque candidius, quòd ista secta aqueo humore pluant, istud amputatum lacteo tractu fluat! ô exemplũ à Paulo vsque non repetitum! volebat nimirum quos christo catharina pepererat, lacte suo moriens irrigare, & ad gloriam simul fortitudinis patientiæ suę laude excitare illos, quos licet properata & recens ad Christi fidem accessio relinquebat infantulos, tantæ tamen virtutis ac roboris imitatio factura erat momento temporis viros. Pariat commentitius ille Iupiter capite fictam pariter inermémque

Mineruam: sed tu Catharina, vera nostra Pallas & Minerua, si minùs capite, vt ista, parta es, capite tamen collóque peperisti. Lactent mammis illæ, quæ profligato pudore homines hominibus pariunt; sed capite lactet, collo alat Catharina, quę salua Virginitate peperit, & peperit Deo. Lac ergò profudit, & ad æmulationem cælestis lacteam in terra viam perenni candidóque tractu consignauit. O beata terra! o vestes pannique pretiosi, qui hoc non croco ac murice, sed cruore & lacte purissimo estis, saturati! O Fœcunda deinceps Alexandria, hócque Virginis lacte, quàm Nili latice feliciùs oblimanda! Nam si copiosè profuso cruore Martyrum vberem aliquando Christianorũ messem non modò portendit, sed etiam proximam ac præsentem ostendit, quid ni lac quoque Virginis infinitam nobis copiam, & sobolem Virginum immensam polliceatur atque proseminet?

SED quis tibi tunc erat Tyranne sensus, cùm laticem illum beatum perpetuo felicíque fonte manantem aspiciebas? Vox tibi, opinor, non modò, hærebat, sed cogitatio ipsa consistebat: lac, credo, auersabare, qui cruore libentiùs pascerere: daret etiam tibi Catharina quem tantopere sitis sanguinem, nisi tu iam totum repetitis instauratísque tormentis exhausisses. Dedit tamen, dedit: imò quidquid erat reliquum humoris in corpore profudit, lac profudit, inquam, aut quia tibi hoc officio mater volebat esse, qui ei tyrannus extitisses: aut quia te pu-

te putabat ad hominem, quem dimisisse videbaris, feminæ conspectolacte rediturum. Ego verò sic existimo (Auditores) Catharinam ideo lac dedisse, vt se, quam omnes virum esse crediderant, feminam comprobaret. Quis enim te, pugil inuicta, qui tot certaminum, tot hostium pugnas, palmas, victoriásque spectaret, feminam putaret, nisi à te lac fusum videret? hoc lirinum illud erat oleum, quod tantæ virtutis esse perhibetur; quóque non solùm alũnos illos tuos, quinquaginta dico Philosophos: illos, inquam, scientiarum omnium officinas, & orbis vniuersi Magistros, quos ad rogum & flammas alacres exultantésque misisti, ad extremam luctam & certamen inungere: sed etiam ipsi Maximino vitam & salutem afferre potuisses. Quid ergò mirum fuit Catharinā, quam hactenùs non minùs virtute, quàm candore lilium esse demonstrauimus, lactis, lirini nempe huius olei riuis emicatim vbertímque scaturire?

VERVM Iam mihi colligenda est oratio, quæ vt oculorum acies albedine, ita nimio lilij huius candore videtur esse dissipata. Volo vos deinceps à lacte depellere (Auditores) & quasi robore atque ætate firmiusculos orationis, vt cibi firmitate quadam corrobare. Commodè igitur, opportunéque cecidit, vt mihi hac extrema parte de odore lilij, qui amarus est atque acerbus, dicendum esset: faciam enim quod nutrices solent, cùm à mammis volunt alumnos suos auellere, lirini huius olei, id-

est lactis, dulcedinem, eiusdem odore acri & aspero exacerbabo,& superioris orationis pulegium rutæ sequuturæ dictionis aspergam.

NON posset omninò castitas, non posset Virginitas, quam Lirino candori dulcedinique comparaui,firmo satis se præsidio aduersus tot impetus externos atque domesticos admœnire, nisi natura, quæ rem nullam iniuriæ opportunam reliquisset, multis eam asperitatibus difficultatibúsque septam esse voluisset. Rosa qua nihil est dulcius, adnatis ad caulem vepribus se tuetur: apes mellis artifices exertis sese aculeis defendunt: frumenti grana vallo muniuntur aristarum; cur ergo Virginitas primæ suauitatis dignitatísque flos sibi non obmoliatur & obstruat? Virgines apes sunt, camporum lilia, Christi grana; proinde suos habent aculeos, suos sentes, odorísque graueolentiam. Nam quàm facilè barbatuli isti & examussitati adolescentes, Veneris emissarij, pudicitiæ hostes, prædones castitatis, Virginitatis pestes, his lilijs tanquam muscæ quædã importunæ atque veneficæ insiderent, nisi longè gentium illa odoris asperitate abigerentur:tinniret, obstreperent, hæreret,inficerent suo halitu spectabilem horum liliorũ candorem, penitúsque corrumperent immortalem alioqui corporis integritatem, nisi hoc odore vt myrrha aliqua salutari condiretur.


SED quis in Virgine tam grauis potest odor esse? volo Virginis vultum seuerum esse, aspectum

acrem, castigatam frontem: volo ingressum grauem atque certum: volo rarum cum viris, sobrium neque præcipitem cum alijs, cum nemine affectatum, quæsitúmque sermonem: volo ad eam aditus esse difficiles: volo in vulgus ignotam, volo domi sessitantem: volo labore sumptus suos exercentem. Hæc est illa naturæ quasi syluestris asperitas, hic ille grauis odor, quem eiusmodi floribus ad paratā certámque defensionem eorum candoris & integritatis, aspergendum puto: satis videlicet puellarum vultibus natura suauitatis affudit; nec ea fuerat tantis artis lenocinijs adiuuanda: subacta vultu toto pellis, suauitas coloris, oculorum illecebræ integrum quémque per se corrumpere potuissent, etiam si nullæ aliunde corruptelæ affuissent: iam verò cùm adeò proiecta sit huius quoque sexus libido, cui valida ad eam inhibendam claustra pudor apposuisse videbatur, quem non istæ Phædrę Hippolytum expugnarent? quem non istæ Helenę Paridem toto ad se mari volitare cogerent? quem non istæ Medeæ Iasonem fascinarent? At, quam acerbum est istud vitæ genus publico carcere: Adolescentiorum familiaritates, congressúmque vitare: vmbris oculi; & aliquid artis puellas nobiles atq; nubiles ętate ac forma integras exercere? At quātò hoc acerbius est, magísque à communi vita remotum, florem ætatis, lilium pudicitiæ, hominum petulcorum, imò porcorum libidini sternendum, proterendum, & prouoluendum obijcere? Virgi-

nes ex omni Dearum turba duas poëtæ celebrarũt, Dianam & Palladem: ſed iſta literis & lanificio vacabat; illa homines fugitans ſe abdebat in ſyluas & ſaltus venando peragrabat.

QVAE cùm ita ſint, videtis, Adoleſcentes, quàm multis periculis expoſitus ſit ille Liliorum caſtitatíſque candor, quem odoris illius acerbitas non tuetur: videtis, inquam, florem illum pudicitiæ non poſſe vllo alio præſidio tutum eſſe, niſi morum vitæque aſperitate quadam muniatur: nunquam enim eum Franciſcus, nunquam Bernardus, nunquam Benedictus, abſque pungentium ſpinarum & vrentis niuis acerbitate conſeruaſſent. Exerite igitur aduerſus vos, exerite aduerſus alios huius virtutis hoſtes aculeos, vt caro iſta titillans ac laſciuiens, quæ potiùs vngi, quàm pungi vult, coerceatur: vt erucæ iſtæ, peſtilentéſque vermiculi horum Liliorum attactu, hac aſperſa acerbitate arceantur; magis enim ad vos, qui eſtis corpore, animóque firmiores, quàm ad puellas vtráque hac parte imbecilles, virtutis huius fama pertinet: quoniam non minùs vos optat artium ſuarũ Catharina æmulos, quàm ſuæ pudicitiæ imitatores.

DIXI.



CATHARINA PVRPVRATA, SEV MARTYRII ROSA.

CARMEN REGIVM.

HIC ego te hyberni quæ iam sub syderis ortum
Nata viam Rosa sanguineã per nubila signas,
Aspiciam, sed adhuc tortoris ab ense rubentẽ,
Qualis es, aspergámque recenti hæc vulnera lacte.
Quanquam quis te vllo violatam vulnere credat,
Imposito cùm nullus eat de vulnere sanguis?
Vulnus habet Catharina; sed hoc de vulnere sanguis
Nullus ijt: vel si quis ijt, mutare colorem
Ambijt, & niueo manauit plurimus amne.
Nunc quia se accingit pugnæ Catharina cruentæ,
Purpureum iuuat albenti mutare colorem.
Hîc igitur riuos ne quære, Tyranne, cruoris
Lacteus in florem candentem hic constitit humor
Quantus erat: versâ primum seruare colorem
Ambierat formâ. Nec enim, Narcisse, volebat

Tecum purpureus; nec rubro flammeus igne
Qualis es, affectásque, ardens Amaranthe, videri:
Candidulo candens gaudebat virgo colore.
Ecce, sed in pretio, quæ nunc iacet, altera palma
Mox erit, & geminum pugna eriget vna trophæum:
Nam cum lacte cruor fluet vno vulnere. Verùm
Purpureum iuuat albenti mutare colorem.
Non aliter nitidis Cygni mage candida pennis
Lana recens Tyrio paulatim se inficit ostro,
Purpureúmque bibit posito candore colorem:
Sic ferrugineo pallens à furfure terra
Massa grauis, rapido succensi ardore camini;
Soluitur illa quidem, at post indurescit eundo
Ignea, tundentísque riget sub verbere fabri.
Non secùs ac vndis, & vortice gurgitis haustum
Splendet ebur, primum inducens pallore ruborem:
Candida sic atro variant quia lilia tabo,
Purpureum iuuat albenti mutare colorem.
Purpureis cana ergò Rosis se lilia miscent:
Sed castis & casta Rosis se lilia miscent.
Quippe nec ista tuo, Venus, est Rosa tincta cruore:
Iuno, nec ista tuo creuerunt lilia lacte.
Vulnera Cypri tua hinc procul: hinc procul vbera Iuno:
Vbera nostra alios pariunt & vulnera flores.
Hinc flammã Venus ergò tuam: hinc Saturnia mãmã:
Imbres hic vestros flos respuit atque colores?
Virginea innocuo rorantur lilia lacte,
Integróque rubet Rosa casta infecta pudore.
Purpureum iuuat albenti mutare colorem.

Falleris, alba tenent candorem lilia primum:
Nolo Rosam niueis ardentem ambire ligustris,
Nolo Rosa niuea ardenti miscere ligustra:
Alba iuuant, oculos vrunt ignita retusos,
Albentem nocet ardenti mutare colorem.
Siste tuos, vel rare veni de vulnere, riuos,
Siste cruor, totóque fluat lac amne, canali.
Non bene eunt lactis, nec vena cruoris eodem.
Quin fluat, alueolóque ruat dimissus aperto
Sanguis, & ardenti incendat lac omne rubore.
Albentem iuuat ardenti mutare colorem.
At nil tale refert cano qui vertice flores
Longè alios & caule supra flos eminet omnes.
Námque superfusum niue, candentíque putares
Aut ebore illusum, aut iucundi aspergine lactis:
Hunc & caulis, apexque sua sub mole laborans
Stratum affligat humi nisi fulciat, & simul omne
Excipiat pondus cubitali corpore caulis,
Quem folia extrema infensis mucronibus armant:
Verna quidem, at summi tamen est coma cãdida floris.
Sed quia flauus apex folia inter candida fulget,
Candentem iuuat ardenti mutare colorem.
Huc satis vsque oculos tenuerunt lilia nostros,
Lac volo virgineum Roseo violare pudore;
Alba placet mutare Rosis mihi Lilia rubris:
Lilia iámque Rosæ, atque Rosæ iam Lilia fiant.
Lilia candentem referunt candore pudorem.
Æmula sydereos ostro rosa suscitat ignes:
Sic candore rubor pallebis, & vsque corusco

Ardebis candens nitor inflammate rubore.
Casta suum interea candorem Lilia seruent,
Dum vincat Rosa purpureo suffusa pudore.
Ardentem iuuat albenti mutare colorem.
Maiestate Rosas & corpore Lilia vincunt;
Esto colore, suo Rosa Lilia vincit odore.
Me iuuat ille quidem foliorum argenteus ordo,
Ille supinatus lato placet ambitus orbe:
Quaque velut sepem nudo circundare cauli
Spina frequens voluisset, acumine sæuit acerbo.
Ille simul summo de flore triangulus exit
Qui triplex croceóque auratus vertice clauus,
Quam benè suffuso argentum succendit ab auro,
Quàm meliùs iunctum argento discriminat aurum,
Album purpureus quoniam emicat ante colorẽ.
Mole Rosa inferior sola, forma anteit; & cùm
Lilia desipiunt, & suauis acescit Acanthus,
Verna tibi Rosa diuinos aspirat odores.
Quin etiam ante alios mira præstabilis arte
Densior est folijs, & flore frequentior ipso,
Arboris instar agens ramosum ad sydera truncum
Falce coërcendum, & qui se radicibus altis
Explicet, & circum sente horreat asper acuto.
Flos calyce vt calatho se se exerit, & cochleatis
Ordinibus foliorum amplo se circinat orbe,
Purpureúmque ambit cano mutare colorem.
Vere Rosa Zephyri fœtam genitalis ad auram
Exultant laxare sinus, & rumpere vernas
Qua florem obducunt, iam iámque morantur euntes,

Hærentes

Harentes circum tunicas: sed frigora stringunt,
Et sæpe affligunt pluuijs venientibus Austri.
Flamina nil cæli, ista soli nil flumina curat:
Flumina nil illam, illam etiam nil fulmina lædunt:
Illa nec excutiunt, neque torrent ista: calores
Hæc Rosa per medios, media inter frigora spirat;
Natiuúmque tenet secto iam caule vigorem;
Nec lydo hesperium vertit mutata colorem.
Alcyonem prima parientem ad frigora brumæ
Miramur, nidúmque alto suspendere fluctu,
Cùm tacitas aliæ latebras, & operta locorum
Obseruent inter saltus & saxa volucres;
Quò prædas hominum auertant, cælíque ruinas.
Sic mare feruentes æstu cùm torquet arenas,
Attollítque vadis pretiosi spumat odoris
Ambar, arenósoque procul sub littore sistit:
Non aliter Catharina autumno nata cadente,
Brumæ auram, spernítque tuos, o Maxime, ventos;
Purpureúmque albo mutat rubicũda colorem.
Salue igitur Rosa purpureo saturata rubore:
Tu, licet amisso tellus lugubris amictu
Imbribus hybernis eluxerit, & grauis Auster
Arboribúsque comas, flores & ademerit hortis,
Dura nec immitis sensisti frigora lethi;
Nec te armata trucis violauit dextra Tyranni:
Sed te, casta pudor quæ Lilia porrigit albus,
Eximio illæsa pro virginitatis amore,
Inuiolata manent: manet altera palma, pacisci
Pro qua crudeli voluisti morte; ruborem

D

Candori vt miscere, Rosis & Lilia posses.



LILII ET ROSAE
SEV
VIRGINITATIS ET MARTYRII
CONNVBIVM.

ELEGIA.


IAM *Martyr Catharinæ Rosas, iam Lilia Virgo*
Seminat, & flores falx metit vna duos.
Lilia sanguineus quanquam qui demetit ensis
Non serit; vtque serat, non tamen ipsa legit.
Sed serit ille Rosas, quas roscidus irriget æther,
Et Deus æternos colligat in calathos.
Tolle manum tortor, tibi nil hoc concidet ictu,
Excipient caro quod cadet astra sinu.
Aut si quid caderet, duo casus tolleret vnus;
Lilia, vernantes erigerétque Rosas.
Isto nil etiam de vulnere sanguinis ibit,
Præruptus vitâ stabit eunte latex.
Quin si quis flueret, liquor hic aut candidus esset;
Aut ageret Roseas lacte rubente notas,
Lilia candenti sic candida lacte natarent:
Sic rubeo arderet mersa cruore Rosa.
Nam simul vt missus ceruicem deiicit ensis,

Infecta duplex flos tibi surgit hamo:
Sed quos ense secat, non separat ense satelles,]
Lilia odoratis iungit at alba Rosis.
Ponite iam veteres hortorum lumina rixas;
Vos inimica ligat, stringit amica manus.
Nunc quoniam plagâ fluit & lac, & cruor vnâ,
Non pugnant rubris Lilia cana Rosis.
Imô quandoquidem Catharina est funere Martyr
Vno facta, vnâ Virgóque facta nece;
Martyrium eximio cum Virginitatis honore
Quid vetat æterno iungere connubio?
Ipsa suas flammas prodit Rosa, Lilia produnt:
Lilia quo pallent, ardet amore Rosa.
Ergo duos vno tandem sociemus amantes
Fœdere, vincla ferent Lilia, vincla Rosæ.
Lilia amant, Rosa amant, odor est diuersus vtrisque;
Dissimilisque color, dissimilisque calor.
Suauis odore Rosa est, vt amaro Lilia odore:
Lilia aqua frigent, sed Rosa ab igne calet.
Non benè conueniat Rosa Lilio, ametque colore
Disparem, Achamenio nec sibi odore parem.
Fallere, si similem sponsæ vis esse maritum:
Vt benè sint similes, elige dissimiles.
Pugnarent etiam frigentibus ignea, vt ignis
Illa fouent venas, frigoris ista fouet.
Lilia pallescunt, multo Rosa tingitur ostro,
Coniugis hic nitor est, sed color iste viri.
Lilij odor grauis est, Rosa suauem exhalat odorem:
Ille puellaris, iste virilis odor.

Pallida iuncta Rosis ignescent Lilia rubris;
Albescentque rubra Lilij amore Rosa.
Naturam ipsa viri morésque puella, puella
Vir sic ipse ferox temperat ingenium.
Vt benè conueniat; malè conuenit inter vtrúmque:
Dissimilis color est, vt sit odor similis.
Quin varient & odore simul, variéntque colore:
Vna duos vno iunget amore fides.
Est sua vtrique tamen, sed nulla imitabilis arte
Forma, æquet magni quæ Salomonis opes:
Ille licet niteat gemmis Orientis & auro,
Fragret odorato Cedrinus igne focus:
Natiuo Rosa quæsitos hæc vincit odores:
Hæc magis externa Lilia veste nitent.
Lilia mollia sunt, Rosa mascula: quippe cruorem
Dat Rosa, candenti Lilia lacte fluunt.
Lilia sunt flores, flos est Rosa: Lilia cani,
Sed Rosa purpurei signa pudoris habet.
Lilia valle latent, Rosa aprico clauditur horto:
Lilia aculeolis, se Rosa sente tegit.
Lilium amore Rosæ benè iam quadrat: ipsáque amanti
Lilio amans benè iam quadrat amore Rosa.
Quæris forte Rosæ quam dicant Lilia dotem?
Dos erit aurato semine flauus apex.
At si casta Rosis coniungis Lilia, lapsos
Hæc tibi fax nulla prole propagat auos.
O quantos Catharina potes, quot inire nepotes,
Quos niueo nutris lacte, cruore paris!
Lacte paris, tibi virginitas fœcunda triumphos

Hos peperit, tales parturiitque Rosas.
Lacte suo fiant aliæ & de semine matres,
Tu Catharina tuo es facta cruore parens.
Ex homine illæ homines pariunt, at Virgine Virgo
Fœta, parit solum, cùm parit ipsa, Deum.
Ergò parit, Christóque parit Catharina marito;
Iámque dedit partus plurima signa sui.
Aspicis vt niueo turgescant nectare mammæ,
Frenatóque cruor flumine sistat iter?
Aspicis vt partus vicinam nuntiet horam
Sæua ciens toto tormina ventre dolor?
Nam quo Virgo iaces, quo sacra puerpera lecto?
Armatæ pendes axe secanda rotæ!
Rumpe moras, intérque minas & fulgura fortis
Partu vno fœtus hos pare Cerua duos.
Rumpe moras, Martyrque Rosas, pare Lilia Virgo:
Lilia sponsa, rubras sparge marite Rosas.
Iam peperit Martyr, venis cruor omnibus iuit:
Quod superest, sponso nunc pare Virgo tuo.
Da lactis, quando riuos dedit ille cruoris;
Et tibi iungendis Lilia iunge Rosis.
Tum sic ille: mihi tu lactis sponsa, vicissim
Sponsus, ei dices, tu mihi sanguinis es.
Turgidulâ gestit tandem prorumpere mammâ,
Sed maius quærit lacteus humor iter,
Plaga potest istos ingens emittere fontes,
Non capit angustus flumina tanta latex.
Perge, viam lacti fac nunc, velut ante cruori,
Impia sis quamuis, officiosa manus.

Paret, & it sectis praeruptus faucibus amnis,
Iámque rubris albas miscet amicus aquas.
Felix connubium, & geminata prole beatum,
Siue Rosas fundit, Lilia siue parit.



FONTES
LACTIS & SANGVINIS
EX ROSA & LILIO
EMICATIM,

certatímque ſcaturientes.

ODE.

SCYPHIS *huc ades aureis*
Tori, pupureâ tibi
Seu potare Roſâ placet,
Roſâ ſiue cubare.

Plenâ ſparſa manu Roſa
In mollem extruitur torum:
Et calcata pede integros
Eliquatur in amnes.

Ades quisquis amabilis
Succos ducere nectaris,
Et lato ambrosiæ sitim
Quæris mergere riuo.

Ecce marmoreo latex
Salit lacteus alueo:
Ecce Lilia candido
Fluunt candida fonte.

Cadit quo rosa acinace,
Hoc & Lilia concidunt:
Plagâ; quod magis est, fluunt
Lac & sanguis eâdem.

Nam quo vulnere Martyrem,
Hoc & vulnere Virginem,
Quanquam sis manus impia,
Fortunata coronas.

Martyr inter equuleos,

Nec non inter aculeos
Vibicum, violauerat
Rubro membra cruore.

Sic ſe virgo puerperam
Probabit, modò purpuram
Inducant morientia
Albo colla colore.

Hoc ergò geminus ruit
Iam de fonte latex; viam
Et ſibi facit inuiam
Totis lacteus armis.

O caſtus liquor! ô nouo
Lactis vena fluens modo!
O argenteus aureis
Riuus pulchrior vndis!

Nam quis hic liquor, aut color;
Lac pro ſanguine candidum

Non hîc, vt solet, vbere,
At de vulnere manat.

Hîc nouus liquor, hîc color
Nouus: sed simul & nouo
Prorumpit color alueo,
Collo fusus ab ipso.

Riuis ite perennibus,
Ite colla: sed interim,
Plenæ lacte licet, sacræ
Exarescite mammæ.

Quos cruore tenellulos
Virgo lactat alumnulos,
Lacti debuit inuio
Irrigare canali.

Quin & lac eat, & cruor:
Sed venis cruor omnibus;
Siccis vberibus fluat

Lac in colla perenne.

Nec lac ſanguine ſe rubro
Licet lucidius Cygno,
Licet candidius niue,
Permiſcere recuſet.

Nec ſeſe fugiat cruor,
Licet ſplendidior Roſa,
Purpuráque nitentior.
Albo iungere lacti.

Tenebítque ſuum cruor;
Tenebit quoque lac ſuum
Colorem; neque lac cruor
Vertet, lácue cruorem.

Sic *Alphæus ad Elidem*
Iungit ſe Siculo mari;
Nec dulces tamen aſperis
Mutat fluctibus vndas.

Sic dum ſe Roſa Lilijs,
Sic dum Lilia ſe Roſæ,
Permiſcent, Roſa ſubrubet,
Alba Lilia candent.

Lac & ſanguis origine
Ergo nunc gemina fluant:
Fluant & ſimul vnicâ;
Lac albâ, cruor atrâ.

Canali neque candidò
Albeſcet cruor; aut rubro
Quamuis lac fluat alueo,
Lac quandoque rubeſcet.

Tu cruor plue, lac flue:
Nec ceſſate quod intimis
Humoris latet oſſibus,
Huc expromere totum.

Martyr purpureas aquas

Agat, Virgóque lacteas,
Placet purpureus mihi:
Placet lacteus humor.

EIVSDEM DIVÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

PVGNAM ET VICTORIAM

SOLENNI PRÆCONIO

COMMENDAT

EADEM MANV, SED ALIO STYLO

IDEM ENCOMIASTES.

ALMAE
VIBISCORVM
ACADEMIAE
S. P. D.

Inuictæ pugilis præcones.



O DEM *ad vos hoc anno deductore Catharina procedit* (Sacri ſapientiæ Antiſtites) *non eodem tamen quo ſuperiore pompa, apparatu. Triumphatura enim iam laurum ambit & lauream, quæ flores hactenùs acceperat, imò dederat, & laureola contenta erat. Creuit nimirùm illi veſtro fauore animus, & ex areola deſcendere audet in arenam; ſéque ex*

horto in campum infert, nunc quidem etiam VIRGO, *sed hoc ampliùs in posterũ* VIRAGO. *Lilium illud quod hyemis metu sinum vestrum appetebat, ad frigidum deinceps Iouem adolescit: hæc Rosa, quæ vel vngue carpi metuebat, ferrum intrepida recipit, agitque tutiùs inter rotas, quàm olim inter spinas. Sexum idcircò Catharina non mutauit, sed ipsum virili duntaxat gloria exornauit, cùm facta est de femina Philosophus, de puella pugil, de tirone Imperator. Prouocat enim, pugnat, expugnat, triumphat. Armorum sonum, belli nomen non sustinetis,* VIRI LITERATI? *quam fecit Catharina pugnam, nos tantùm adumbramus. Extrà ictum estis, extráque aspectũ: accipite saltem auribus & animis, quod puella corpore non trepidauit excipere. Nos interim abiectis delicatæ dictionis*

flosculis & mulso, ne factis Virginis dissentiat oratio præconis, dum illa ferrum, nos acuimus stylum; triumphum Deus apparat, vos plausum. VALETE.



CATHARINA
VINCIT
SINE CASTRIS
Imperatorem.

ORATIO.



OVA pugna, inusitata victoria, & hoc ipso spectabilis, quia inexpectatus triumphus; spectatores dicam, an auditores, decernite Academicali decreto (Rector Academiæ trabeate: Prępositę sigillis lemniscate: Doctores emeriti: Magistri laureati: Adolescentes candidati.) Nam etsi iubeor orare de pulpito victricem potiùs in toga Athletam proclamaturus, quàm succinctam sago Amazonem in aciem prolucturus; inde theatrum ornare sententia est, & quieta atque pacata rostra reboanti caueâ, forimque arenâ commutare: quandoquidem non ım mihi hodie concionem dari postulo ad auscultandum, quàm ad spectandũ coronam. Emittm enim vobis hoc spectaculo pugilem in areım, vt eam nomine cum hominibus, re autem rā cum feris, brutísque committam. Nolo

plura proludere, ne quod ad agendum Catharinę, vobis ad spectandum, ad plaudendum calitibus spatium datum est, ego inepte dicendo consumam. Ecce iam nullo ante misso expectatóque Catharina feciali; simul infert atque denunciat bellum; armatóque inermis ipsa congreditur: imperatorem in castris, superstitionem oppugnat in fanis; in quo est pugnæ nouitas: vni congressa vincit innumeros; in quo victoriæ consistit insolentia: sibi denique cogit quos vicit inuitos, vltroneos applaudere: quem quò minus expectes, eò spectes certè cupidius triumphum. Prouocat igitur verbo, à quo ferro se transuerberandam non ignorat. Quid tot inquit, mortales, quos te per Iouem sospitem seruare decebat imperator, ad exitium vocas? Deos, scilicet, orbi proponis, qui ne homines quidem aliquando fuerunt: vel si qui fuerunt, vt ab eis acta inter mortales vita coarguit, eos tamen vitam mors consecuta catalogo expungit immortalium: Iis nempe toto armentorum sanguine, atque adeò gentium tributis litas. Maius, opinor, beneficium exanguibus his stipitibus, columnisque commodes, si vita ipsos qualicúnque impertire possis, quàm si viuis eorum causa adimis. Frustra Populi Romani vectigalia, frustra viginti legionum stipendia impendis incendendis ad eorũ aras odoribus, quos si sentire possent, sanè refugerent. Ego verò, ne quid dissimulem, hæc Deorum tam vera nomina, quàm falsa numina religiosius flam-

flammâ, quàm fumo expiarem: obſcuri ſua ipſi ſponte ſunt, quid eos etiam tam pretioſo ſuffitu inobſcurare pergis, qui ad viliorem ſui flammam plus inclareſcerent? vtinam & mihi liceat hunc ignem, Maximine, meo ipſius incendio inflãmare, dummodò quidquid eſt inanium Deorum vbiuis vnà mecum Alexandriæ conflagraret. Sed vide quanti ego æſtimem tot animantium ſanguinem, cuius audio copia Aegyptum vniuerſam ad Nili æmulationem, ad ruborem tuum reſtagnare; quę cum ambiam meo ipſa cruore inhibere? non quòd apud me belluinus humano ſanguis pretioſior eſſe poſſit, ſed quòd eos, quibus funditur, eóſque per quos profunditur, beſtijs ducam brutíſque viliores. Video, exanguem iam, ac propè exoſſem ſuperſtitionem tuam ſanguine ſi minùs in ...rentes eius venas infuſo, ex alienis ſaltem largiter ...ffuſo, ſancire ac reparare vis? Hîc Maximino ...umulabatur ira cor; & odio ſimul & amore ...erditus vtri potiùs indulgeret, vtri reſiſteret, neſ...iebat. Vicit amor in præſens, ſed aliquando, breíque vincendus, & à beneuelentiâ & comitate ...cepit, vt more ſuo in furorem deſineret, furor...lium incitaret, vtrúmque Catharina ſuperaret. ...anditijs ergò congreſſus tyrannum premebat, ...præ ſe ferret patrem; tegebat hoſtem, vt ami...m, atque adeò fratrem ſimularet; ad oſcula ...naſius inuitabat, vt rictum & dentem ferox aper ...primeret: ſed in virgine virum, in puellula pru-

F

dentiam plusquam senilem, in delicatula ætate robur & rigorem expertus atlheticum, prima impressione victus est tot palmarum & victoriarum imperator. Itaque pudori magis suo, quàm virginis consulens, publicum probri plenus deprecatur; & per occasionem redintegrandi sacrificij, vires animúmque redintegrare meditatur. Macte animo pugil olympica, veriùs quàm olympionica, quas non ad incitas hostis adactus est, cùm sponte interpellat inducias? impulisti, vertisti primo impetu, expelles, vt confido, & euertes extremo: sæpe tamen pugnabis, vt interea sæpe vincas, & sæpissimè triumphes. Producta patris è regia in imperatoriam aulam, eadem felicitate, parique facilitate profligat apud aulicos luxum, quâ apud aras superstitionem afflixerat; sed impressione diuersa. Tyrannus enim in scenam ingressus, irámque dissimulans, quò maiori specie subornaret amicitiam, verborum humilitatem oris & vultus humanitate contestabatur: ad vtrúmque virgo facta, lapides & spinas parata erat excipere, cùm rosis & mulso se ingemuit acceptã. Sed neque mulceri blanditiijs, neque deliniri voluptatibus illa potuit, quæ, relictis luxui rosis mulsóque voluptatibus, spinas sibi solas è sponsi supellectile ad ornatũ, vt ex eius mensa fel & acetum exquisitum in liquorem excerpserat. Inuitat in primis ad exigendam ætati debitam mercedem è corpore, voluptatem tanquam in illo vigore residem fortunæ prurigine solicitans:

nec minoris eius formam, quàm toto terrarum imperio licitatur. Facesse leno importune, impuros & emissitios ab hoc ore oculos: sanguinarias ab hoc corpore manus abstine: demissum cęlo munus, non satis vniuersa terra æstimatur: cælorum ad hęc imperatori indissociabili puella ista matrimonio collocata est, cuius tu te verbo procum profiteris; vt quod re ipsa est, amicum & adulterum tegas. Alienam ambit sponsam amens, & suam nescit diuortium à se Diisque suis meditantem, longè maximum longéque optimũ ambire, pronuba etiam atque internuntiâ Catharinâ, maritum. Quòd si adhuc impurus ille dubitat cuius hæc sponsa sit, profer nupta cælestis annulum, quem tibi demisit ille agnulus in digitum? Thalamum, si quid aliud quærit, indica, communem virginis matris sinum: Fœcunditatis pignus est certissimum hic vterus inexpugnabili integritate circumullatus: fides ipsa, ne quid vltra vacillet, fidem noctis eius faciet, quæ vbi priùs cæco illuxisset animo, his nuptijs cælesti face præluxit. Caue propterea silentiò & nocte factas furti nuptias insimules: silentiò ei nubendum fuit, qui dum omnia silerent, natus est. Ad spes prætereà magnas; ne nullum telum experiatur, vocat: verũ vix spes lactẽt eam, si paratæ ac præsentes opes prolectare nequiuerint, neque diuisum & beneficiarium imperium ineat, si regnum iam totum, & hereditarium aspernatá sit. Neque putes iccircò degenerem. Capit terrarum imperium cæli capax

Catharinæ animus: nec modò regnum & imperiũ ambit virgo regia è stirpe progenita, sed suis etiam factis expectat; sed quod duplici simul nomine titulóque possideat, sponsæ nimirum ac filiæ, esto adoptiuæ? vna restabat machina, Deos ei plures, vt ab vno deficeret, probare: malè tamen hæc ipsi pugna successerat: hominem insuper iam inferiorẽ publicè, priuatim experiri ratione cum femina periculosum videbatur: quid agat hoc rerum articulo magis etiam animi, quàm rationis impotens imperator? suæ diffidens, alienam sapientiam arcessit. O consiliũ ab ipsa sapientia fatuum! dum domesticæ insipientiæ notam laborat abstergere, publicæ sibi stultitiæ aspergit infamiam. Satiùs erat, minúsque pudendum imperio cum puella imperatorem ratione decernere, præsertim cùm nec sexus, nec ætas, sed causa vinceret, quàm ab eadem lycæum totum, atque porticum argumentorum pondere profligari. Proh Deus immortalis, quantum hæc vna puella, vel quàm parùm tot philosophi sapientiæ conditum habebant in pectore, qui se tandem ad feminæ sapientiam desipere professi sunt! vnus sapere vt disceret, sufficiebat Augusto philosophus; Maximino quinquaginta non sufficiunt: his quippe consilio & ratione ponentibus errorem, in eodem se ille figit obstinatius: quasi pudeat veritatis habere condiscipulos, quos honorificum esse duxerat magistros vanitatis adorare. Causam omnes ad vnum scientia vt ætate prouectũ detulerant:

ſed cùm is multùm loqueretur, ſaperet nihil, imò mendacia figmentis ſarciens per omnes poëtas infinita quadam ſerie vagaretur, nec tot hominum ſuffragijs vel vnius Iouis apud Catharinam diuinitatem obtineret; Catharina contrà diuinæ prudens & perita legis, adeò manifeſtè reijciebat inanes, adeò clarè gratioséque verum apud omnes diſputando prouehebat & euincebat Deum, vt ſecundũ ipſum aduerſarij licita præuaricatione pronunciare, quódque magis palmarium eſt, recentem flagranti igne religionem ſancire non dubitarent, ac veritatem conſtantiámque dogmatis non foco duntaxat ipſo, ſed toto auderent incendio experiri: Si quidem Maximinus, cùm emendicata aliunde ſapientia, inſipientiam ſuam hucúſque laboraret inducere, apertè nunc profeſſus inſaniam, ignem, vſitatà ſcilicet amentium arma expediuit. Parum tibi fuerat, Maximine, ſtultè ſapere, niſi ad cumulandam imprudentiam, impudentiámque, ſtolidè quoque inſanires. Falleris, ſi putas hac flamma incendium, vel hoc incendio flammam exſtingui: horum tu quidem corpora ſuccendis: ac cogita quàm multò plurimum animos ad eandem fidẽ accendis? iſti tanquam faces quædam ardentes & pellucidæ alijs ad veritatem in profunda & media erroris nocte prælucebunt: Tyrannorum enim incendijs Chriſtianorum fides per ſe alioquin obſcura mirificè colluſtratur: adeò vt hic ſolus ignis ingenium & naturam refutans aliorum, prodigiosè

fœcundus ſit: hi cineres diſſipati, ventilatíque coaleſcant,&maſſam efficiant vndè farina excernitur, paníſque pinſitur quo aluntur ac fouentur omnes vitæ cæleſtis candidati. Malè ergo tyranne imperas eorum cineres in ventos ire atque faceſſere, quorum memoriam & religionem abolitam & radicitùs exſtirpatam cupis: non enim perinde cineribus ac ſale ſeminatur. Ignoras, credo, agros quantauis ſterilitate damnatos hoc longè melius, quàm alio quouis fimo ad inuidendam frugum copiam ſtercorari? hoc te læta Chriſtianorum ſeges, quæ domi tuæ proximè, quæ in aula quæ in thalamo tuo generoſiſſima ſobole germinatura eſt, nolis velis, edocebit. O rogus non ampliùs funebris, ſed natalis, nec ferali cupreſſo deinceps, ſed victrici potiùs lauro accēdendus. O ignis, ô flamma ipſo ſole lucidor, quæ conſumptis corporibus ad animum vſque mirabili tuo ſplendore pertingis! at neque ad illum ignem ſolui potuit Hircana niue rigidior illa immanitas: adeò enim vultu toto Maximinus expalluerat, cùm præcordijs intimis vreretur, vt ad illud incendiū, quo ardebant quinquaginta, vnus ille colore variare neſciret, nedum accendi, aut illuſtrari; verùm quoniam in propria non poteſt, in aliena pelle ſaltem erubeſcet, alio non multò poſt igne ſuccendendus, at nequaquam aliquando illuſtrandus. Virginem, ô pudor! ad vibices nudari iubet, expeditos valentéſque lorarios tāquam agitatas è cauea feras in eius corium virgi-

neum immittit: sed leuiùs armatis eorum manibus, quàm emissitijs, impuréque vibrantibus impurissimi lenonis oculis virgo nudata vapulabat. Interim pudore, nescio, an horrore magis auersus spectator frequens auolabat: ipse tamen quem sitiebat animo cruorem oculis hauriebat: quin etiam ipso ore (sic atrox bellua imminebat lanienæ) propemodum glutiebat: neque adhuc ad tam pudendũ spectaculum homo impudens erubuisset, nisi stagnantes profluuio sanguinis imbres in eius vultum stillas forte aliquas impluissent. Huc numerò accurrite, huc aduolate beatæ mẽtes, & hunc famulæ, vt Domini quondam pretiosum liquorem excipite: cecidit enim, cecidit in sterilem locum, cautémque durissimam sanguis Martyris, sementis nihilosecius Christianorum frugifera. Sed vt iste perierit, saltem qui cecidit in terram, seminatos in ventum irrigabit, diluétque philosophorum cineres, qui sine tali humore coire nescijssent. Candor ille virgineæ cutis solo colore marmoreę, eunte riuis cruore purpuratus, Lilium in Rosa natans adumbrabat: quasi ad se sponsa sponsum suum vicissim velit inuitare: iam enim in eius, vt in sponsi solo flores apparuerunt. Quod si hyemem nondùm prę̨teritam, aut nondùm exsiccatos esse imbres excusauerit, est hyems ista florea, imbérque sanguineus, quo ipse non sine prodigio pluit, & hortos irrigauit aliquando. Continens multarum horarum carnificina, pelle cribro crebriùs perforata, ossa nuda-

uerat: iámque manum ſe perdere, & cum virginis ſanguine vires ſuas exhauſtas virgator laſſus querebatur; itaque obrutam loris, plenámque verberibus onerat ferro, tenebriſque, & carcere damnat eam, á qua in lucem & libertatem ipſe, licet auro radians, orbiſque Dominus vindicari potuiſſet. Cohortem hîc ei militum apponit, ne quid ad ornatum, vel potiùs ad pœnam deeſſet: tale nimirum decebat puellam regiam Gynæcæum, aulæ videlicet ſimile, neque diſſimile Maximino. Ad quid hæ tandem excubiæ? forte ne tentet inde fugam, quæ hoſtem vltrò prouocabat? Forte ne medicas ad plagarum curam manus admittat, cui mori dulce ſit atque ſalutare. Pluſquam Spartanum virginis animũ è ſuo homo timidus & voluptarius æſtimat. Age verò, quid triumphum non expectet, cùm ad prælium ſponte ipſa proceſſerit, imò præceſſerit? Manus illa quidem admittet, at admouente te, non ad medicinam; ſed ad plagam: quanquam, ſi rectè ſuſpicor, pompam ei atque comitatum ad triumphum, non autem præſidium & cuſtodiam aſſignas. Ita eſt, cuſtodes captiua fefellit: fallor, non fefellit: vaniſſimi tantùm imperatoris ſacramentum ab eis imperatoris fide longè ſapientiſſimi repignerauit. At coniecit in vincula? fateor, vt turpi reliquos, qui ſibi liberi viderentur, ſeruitute ſolueret, arctiúſque Deo colligaret. Habet ergò quibus triumphum exornet egregia triumphatrix ſapientes, habet milites, mox Imperatorem habitura; hoſtem ſcili-

ſcilicet armis conſilióque, vno prælio, vno ſtratagemate ſpoliauit: ego tamen quod in præcipuam triumphi partem, pompámque deputo, adhuc non aſpicio. Vbi ergò, qui præcedat in curru, quémque modò pollicebar, deuictus eius armis, & auro vinctus imperator? nec hoc ipſum deeſt: mox ſaltem ſubit iugum imperatore Maximino maior imperatrix. En vt, quem nunquam forte Maximinus, ipſa ducit exercitum? aduolat cum Porphyrio & milite in carcerem, excitata non ambitioſo volatu prȩeuntium Romanis in ſignis Aquilarum, ſed mirabili ſplendore columbȩ diuina luce fulgurantis. Eſt hoc prœlij genus inauditum: eò vulnus acceptura, non datura venerat eximiæ animi fortitudinis imperatrix: ibi Romani imperij inſignia poſitura, ſplẽdidáque orientis ſceptra probroſa chriſti cruce mutatura, vt arbitrio clientæ nutúque ſeruiret in poſterum, quæ tot annos gentibus infinitis imperaſſet. O vera iam, ſi ita eſt, ſed longè amplioris & diuturnioris imperij imperatrix! dubitas prophana ſuperſtitio, dubitas? imperij nomen audis, omen non vides. Miror: nullũ clarius dari potuit. Obortus enim eſt; obortus, inquam, imperatrici noſtræ incubia nocte ſol, & Catharinæ corpus, & huius simul mentem vno radiorum coniectu illuſtrauit veritatem, vno diuini amoris ictu ſauciauit ad item. I, nega plus viro ſapere feminam? iſta viin tenebris, quod in ſole non potuit aſpicere ritus. Nihil agit (vel omen fallit) nihil agit

Maximinus: nunquam ſanè expugnabit eam, cui cæli caſtra, aſtráque militant: nunquam tenebris offundat erroris illam, cui ſol vno tempore geminus illuceſcit. Catharinã ergò porrò laceſſere, hoc eſt non lunam quidem, (vt eſt in prouerbio) verũ ſolem ipſum canina pluſquam rabie caſſo hiatu allatrare. Fame vellet quam ferro nequit conficere; proinde multorum dierum aggreſſus inedia irritare, edendi rabiem non poterat, conſtantiam prouocabat: patientiam acuebat, exſtimulabat fidem. Res mira, nec tamen inſolita! militi ſuæ ſtrenuè præſidium obtinenti panis quotidie caſtrenſis aderat, diuinum cæliſti ab imperatore congiarium: eadẽ plane via cõmeatus in fame, qua ſol in nocte perrupit. Qua de menſa eiuſmodi ferculum miſſum ſit, aduertitis; qua demitti potuerit non videtis. Commeabat ad illam columba columbulam, æquali atque ad Danielem in ſpecu vates ille prodigio: inde ille denique Catharinæ per auem procurabat cibum in carcere, vnde ſolitarijs in nido auiculis ſolitus erat prouidere. Sic igitur Catharinæ famẽ leuare decebat Deum, ſic dedecebat prouocare Maximinum. Nam quis vnquam Theatri magiſter aut munerarius auditus eſt, ijs quos feris laniandos vellet obijcere, ante deducto, vel negato cibo, corpus adipémque detrahere? ſcilicet iſte cùm plurima prædę ſagina beſtiarum famem deberet acuere, aduocato per longa ieiunia inediámque macrore retundebat. Sed nihilo melior faber, quã

lanista, exemptam carceri victimam, cum pinguem & nitidam post imperatam dierum duodecim inediam, & recentem etiam, integrámque post tot impositas plagas aspiceret, noua & stupenda Phalaridi machinatione fabricatus est rotas quatuor, gladijs præfixas vndique acutissimis: in quarum vnam triũphaturã Catharinam imponeret; & quæ, dùm reliquæ torquerentur, minima conuersione mille gladiorum mucronibus figendam, frustratímque concerpendam obuerteret. Benè habet. Triumphi fercula reliqua, pompámque Maximinus instruxerat: nunc tandẽ currum ipsum rotis quatuor impositum adornabit. Hinc procul, si vobis consultum vultis hostes: nam si tantam stragem ex ęquo, inermisque pugnans imperatrix nostra dedit, quanto maiorem iam in curru sedens, armatáque gladijs & triumphans dabit? Miserum vulgus, atque insipidum, adhuc sub ictu est: admonebo iterum periculi, si per vos licet, auditores: facesse, facesse, inquam, spectator alieni sanguinis auide, prodige tui; hi enim, si nescis, in te gladij districti sunt: hi tuum in alterius intenti iugulum mucrones petunt: quod ab alijs expectas, dabis ipse de te spectaculum, eíque quanquam cruento atque miserabili, maiori præl udes. Hæret etiam spectandi studio: non credit, non audit, non timet vnde certa mors est; timet vnde certissima salus est affutura: Illius ergó periculo sit, sed nostræ, Catharinæque securitati. Nesciebatis Alexandrini, domum esse ful-

minis Alexandriam? icta est statim de cælo machina, & in partes distracta Catharinam misit innoxiam: Ceterorũ proh dolor, quantam turbã afflixit! nullum quippe telum tam denso spectatore irritũ erat: ictum præsertim certa de cælo manu, quanquam obscura collimante: nisi peritum, cùm ferire vult, iaculatorem inficiaris Deum. Spectaculo similis de repente plausus datus est: theatrum quãtum erat, totum ferali diu lessu, neniáque reboauit: multíque subinde, non vt in triumphis licentiam militari scurræ triumphales, at seriò sua imperatori facta non posteriore, sed anteriore sanna ingerebãt: quod illi eò placebat minùs, quòd tantùm abest, vt aliorum ipse more triumpharet, vt ipsemet triumpharetur. His siue probris, siue furore succensus, vilis plebeculæ sanguinem regali atque adeò imperatorio, aliena probra pudore domestico expiare Maximinus accingitur: submittit enim qui coniugi & Porphyrio, ducentísque pariter prætorianis funestam securim inijciat. Thoro Christi, inter flagra misso Catharinæ cruore, non pepercerat, & miramur eum non parcere suo? Tragœdia tota peragenda est, spectatores eruditissimi, sed simili atque cœpta principio est, exitu terminanda. Vltimæ partes Catharinæ sunt, & meritò: quia eius primæ fuerũt. Huc oculos, spectatores: huc aures auditores: procedit in theatrum secundum imperatricem. Regina, ortu, inquam, Regina, sed tam glorioso exitu, tot rebus præcla-

re geſtis auguſtiſſima imperatrix,quali,Deus bone formâ ! qua maieſtate ! qua conſtantia ! Admiramini ? ceruicem glâdio nudatam erubeſcitis ? ſoli ſe gladio nudare virginem conueniebat. Erecta corporis mole ſtat; obſtupeſcitis?nũquid non ſtantem mori tantam decebat imperatricem ? inficiamini eam quidquid habebat ſanguinis in ſponſi cauſa exprompſiſſe?lac é plaga fluit:vel certe quia tot ſponſo filios fœcunda mater, virgo tamen pepererat,turgẽtibus vtrinque mammis lac toto corpore fuſum ad vſq; colla reſtagnauit.Ilicet,ſpectatores, ilicet: dimittit cum vita Catharina coronã, quæ ſuas magis pugnas, triumphoſque ſpectatum, quàm incómptè á me expoſitam rei geſtæ narrationem auditum accurrerat. Victrici ergò, triumphatrici Catharinæ, ſi minùs mihi plaudendũ exiſtimatis,plaudite: mihi verò ſacrum funus,vt corpus attingere religio eſt,religioſiùs à ſponſo, eiuſq; aſſeclis atque principibus, quàm veſtris aut meis manibus efferendum. Hactenus ego:reliqua diuini oratores&funeratores cęlites, audite, ſi licet, perorabunt.

Dixi.



VINCIT SINE ARMIS MILITEM.

POEMA.

QVO *noua se belli facies, mutatáque vertant*
Signa, coronatâ quid agat testudine miles,
Quidué minor castris, struat his Maxentius armis;
Virgo inuicta doce. Quid enim te armatus inermem
Excipit, aut tenebris victricem in luce coërcet?
Quid te præsidio, quid carceris obsidet vmbra
In plagas, in ferrum, ignésque & certa ruentem
Supplicia, atque aquilas rapientem in prælia victas,
Hoc socia arma vocat: de castris sola triumphas,
Nil minùs armato mox congredieris inermis.
Parce metu, languent victo duce militis arma.
Ille quidem indomitam castris, tentauerit armis,
Victricésque dabit, sed frustra in vincula palmas:
Vincta plagas abrumpet, inermisque arma refringet,
Excipietque plagis, atque armis exuet hostes
Imbellis virgo, veniétque hoc robur olympo.
Sicut enim aucupio & telis captare fugacem

Venator prædam opperiens, aut retia syluis
Explicat, aut celeri pertentat arundine ceruum,
Iamque plagis fera, iamque ictum frustrata fefellit:
Ille acri saltum cane, præsidióque coronat
Impiger, & longa obsidione fatigat ituram.
Sic totis Cæsar frustra vt se cingere castris,
Inuictámque videt non æquo marte puellam
Et ridere graues, & sponte lacessere pœnas,
Porphyrium vocat, obscuráque voragine mersam
Obseruare specum vigilantibus imperat armis.
Nox erat, excubiísq; frequēs iam miles obibat,
Cùm propria locus ipse, & noctis inhorruit vmbra:
Horrorem offusæ ingeminăt hinc inde tenebræ.
Interea claris Catharinam ardoribus ambit
Lux illapsa polo, mediáque in luce refulsit
Aliger, & dextra latus, atque hac virginis aurem
Pulsat voce. Sopore iaces, aut fracta fatiscis
O virgo, tam cara Deo, quàm inuisa tyranno.
Vsque adeóne riges, aut sensus deficit ægram,
Omnis vt exciderit dolor, & secura futuri
Carnifices & vincla inter, gladiósque quiescas?
Nec te dira fames, neç carceris excitat horror!
Quidquid idest, seu victa sopor per membra quietem
Insinuat, viuóque riges hebetata dolore,
Surge, meósque pati, virgo licet, incipe, vultus,
Et sponso iam visa, & nota agnosce ministrum
Aligerum, sponsique tibi mandata ferentem.
Finierat: mox viuifica de pixide prompsit
Iudæísque, Syrísque inuisa opobalsama, Medísque.

His

His plagas rigat aspergens: caro florida tabo
Succedit, cute natiuâ pratenta cicatrix:
Plaga adeò nulláſque notas, aut ſigna reliquit,
Vt ferro tactam nullo aut vibice putares.
At virgo mentis cum voce receperat vſum:
Et nitidam mirata cutem, & deleta recenti
Vulnera pelle: o de cœleſtibus, inquit, Ephœbe,
Námque mihi lux hac vt te circunflua talem
Arguit, & fractis color & caro reddita membris?
Quò me ſancte vocas? belli ſi quidem affere finem,
Quâ ſponſus lauat Aethiopem me nocte, canebat.
Hiſne armis iterùm transfigar inermis, & arma
Nulla paras, aut tela vides, dúm cingitur armis,
Reſtaurátque recens fracto duce prælia miles?
Hæc vbi queſta, refert ſic contra nuncius ales.
Non alia hac, ô virgo, petunt certamina tela:
Hac cadit armatus pugna, ſed vincit inermis.
Fregiſti tumidum ſine caſtris ſola tyrannum,
Et nunc arma petis ? quid, ſcilicet arma vereris
Militis, aut oblita ducem viciſſe, tuique
Aut ignara animi, aut ſuperûm virtutis egena?
Vulneribus quanquam quo pluribus ipſa patebis,
Hoc maiore tibi cedet victoria palma:
Atque his, ne dubita, tibi militat inſcius armis
Porphyrius, decorátque tuum captiua triumphum
Regali cedens vltrò regina cubili.
Dixerat: auratis reſplenduit ocyùs alis
Alba columba, pedéſque ſtitit ſe virginis ante,
Languentìque cibum roſtro præbebat adunco,

Demissum cælo panem, annonámque reponens.

Carceris illæsa se fornice Dius in altum
Aliger extulerat, lúxque eluctata per vmbram
Obscuram, ambrosium latè spargebat odorem,
Vincebátque fores, ipsámque ferebat in aulam.
Non tanto diuorum aræ splendore coruscant,
Sacrilego cùm vana Pharos succenditur igne:
Nec tam fragrantes tollebat in aëra fumos
Thure vaporati nidor Iouis, omnis in orbem
Aegyptus positas vbi supplex ibat ad aras.

Forte locum furto captans regina, fidelem
Nacta viæ comitem, Catharinam audebat adire
Per tenebras, & iter nox ipsa in luce regebat.
Porphyrius comes ipse aderat, studióque videndi
Ambo ibant. Primùm positis ille astitit armis:
At regina diem plenum vt suspexit in vmbra,
Procumbens humili captiuam voce salutat,
Atque exosa deos, Christúmque amplexa, liquore
Lustrari sacro petit, & genitalibus vndis.
Idem omnes incessit amor: cum milite ductor
Certatim properant regi se addicere Christo:
Eiurántque Deos, & Zonam atque arma recingunt,
Primitiæ belli felices. I, pete posthac
Arma quibus victo pugnes Catharina tyranno?
Aspicis, armatus miles tibi cedit inermi:
Et castris sine dux, miles sine vincitur armis.

VINCIT SINE PALLIO PHILOSOPHOS.

ELEGIA.

ALtera si positis victoria quæritur armis;
Si mouet imbellis prælia prima pudor:
Iámque furor castris, & vis succũbit in armis,
Virginea cedat tertia palma stola.
Pompam quippe noui sapientia vana triumphi
Ducit, & insipidos fercula longa sophos.
Frustra castra mouet, frustra admouet arma tyrannus,
Ista decet forti prælia mente geri.
Sola triumphatas agit hoc certamine turmas,
Et ruit armatos nuda puella viros.
Ergò animo minor, vt quæsito nomine maior
Maximus, adscitâ posthabet arma togâ.
Damnatámque foro mutari poscit arenam,
Atque manu victos, asserit ore Deos.
Sed quoniam tardúsque manu est, atque absonus ore,
Cogit inaniloquum toto oriente gregem.
Ilicet, emisso se porticus ipsa lyceo
Miscuit, & socias rumpit ad arma manus.

Sed iurata tuas, ô virgo, rumpere vires,
Ipsa suis retrò viribus acta cadit.
Argumentoso quæ vana sophismata nexu
Impedit, Aegioco natio plena Ioue,
Ocyus expedies, & inanes cum Ioue diuos
Damnabis iusto scilicet interitu.
Ausa est mortales in cælum inferre penates,
Et colere omnigenas turba prophana feras:
Thure nec erubuit lapides incendere, nec quæ
Accensis fumant arida ligna focis.
Ista superstitio sibi semper credula finxit
Numina, vel falsis nomina numinibus.
Hæc te, virgo, decet ratione reuellere monstra,
Et nitidum victâ reddere nocte diem.
Ecce coronatâ sophus ordine plurimus aulâ
Ostrepit insulso tinnulus eloquio:
At pudet iniusto decernere marte, puellæ
Tantos turpe vetat conserere ora viros.
Et nisi præsentis fera Cæsaris vrgeat ira,
Hac tacitè quærat cedere militiâ.
Nam quæ, inquit, spolia ex isto præclara feremus
Hoste viri, magno quem superasse probro est?
Si superasse probro est, pugnare iniuria certè
Maior erit, quin hoc Iuppiter hoste cadat:
Atque impune cadat: tantam impetus iste ruinam
Si dabit, & celsos trudet ad ima deos.
Scilicet hoc superos tangat, si femina garrit,
Aut cœlo intentat, cùm nequit arma, minas.
Talia iactatis, leuiter quasi velitet, armis,

Vanum credibile est verba dedisse sophum:
Atque manu barbam mento mulsisse iacentem,
Et nutasse graui sæpe supercilio.
Nam collecta sinu tam multo pallia rugat,
Lapsas ruga secat quàm numerosa genas.
Natiuo contra suffundens ora pudore,
Aduocat expertam miles inermis opem:
Et regalis humum verrens in syrmate palla,
Ibat composito regia virgo gradu.
Hostem non aliter venientem sustinet hostis,
In sua se vt firmo colligit arma pede.
Quin nisi iam primas progressus iecerit hastas,
Submittit meritas cui sua turba faces,
Audeat ipsa sophis concurerre prima superbis,
Mentitúmque probris mille onerare Iouem.
Sed leuis, & nullus tanti fuit impetus hostis,
Totus enim in vanis constitit ominibus:
Totus in augurijs, auibúsque & pinguibus extis
Hincque fidem sacris adstruit, vnde ruit.
Prouocat ad vates, & nugis vincere pugnat:
Deficit hic tumidum causa, locúsque senem.
Quò tua causa loco est, o Iuppiter, & tua Pluto,
Quam ratio atque cati destituêre sophi?
Hîc animo pugnam Catharina ingressa virili,
Captantem ipsa suos impedit in laqueos,
Hæret enim, facilémque senex nisi habere receptum
Sors dabit, infami quærat abire fugâ.
Iámque Deûm inficiata greges, & inania sacra,
Intulit vnius sacra verenda Dei:

Cuius & in leges cum victo tota magistro
Ausa est abiecto porticus ire Ioue.
Pone stolam victrix, palmatámque indue vestem,
Túque puellarem sume tyranne stolam:
Esto virgo animis, sit maior Maximus armis,
Sed tuus & miles, dúxque triumphus eant.
Ante sophos & *marte duces tibi vincere, bellum est;*
Imo marte sophos vincis, & arte duces.
Palliolo atque sophis mars est concurrere, inermem
Sed bona in armatos ars erat ire globos.
Vince sophos sine palliolo, sine milite castra:
Esto stola miles, sed sophus in tunica.





VINCIT
SINE CORPORE
TORMENTA.

ODE.

QVID *ducem ſine copijs,*
Quid armis ſine militem,
Quid ſophos ſine pallio,
Expugnaſſe iuuaret?

Niſi prouocet vngulas,
Niſi ſcandat equos, niſi
Acri torta rotâ, niſi
Vitam finiat enſe.

Et ſit integra ab vngulis,
Et ſuperſit equis, ruens

Impel-

Impellátque rotam, & fero
Cadens ense resurgat.

Est in corpus hic impetus:
Victor est animus quidem,
Sed non est animo satis,
Nisi corpore vincis.

O quod corpore debili
Delicata puellula,
Pœnarum excipies onus?
Quanta mole fatisces!

Audis vt focus ardeat?
Sentis vt rota differat?
Vides vt gladius micet?
Situm carceris hauris?

Non hîc finis erit, pluent
Hac & uerbera copiâ,
Hoc & pondere, quâ ruit

Mole atque impete grando.

Aratam aſpicio cutem,
Et vibicibus vlmeam:
Latus lampade torridum,
Plumbo liuida membra.

Nec te promet ab horrido
Ante carcere, quàm ſiti
Irritauerit & fame
Maximinus atroci.

Hæc te deſpicere omnia,
Et maiora pati eſt opus:
Háſque in corpore vincere, &
Abſque corpore pœnas.

Nam quis mole ferox gygas,
Figuráque tricorporis?
Quis Antæus & Hercules?
Quis hoc gutture Stentor!

Quem non hæc rota differat?
Quem non ignis hic ardeat?
Quem non hęc lacerent flagra?
Quem non hic secet ensis?

Non ceruicibus excetra
Septem flammea pullulans:
Aut occumbere nescius
Unda lotus Achilles,

Huius fulmen acinacis
Declinauerit, aut pede
Tot & tanta receperit
Absque vulnere tela.

Non si pectora triplici
Aere cinxerit, & cutem
Incrustauerit igneo
Cocta caute cerauno.

Illum caßide Mars tegat:

Pallas muniat Aegide;
Pollux cęstibus induat:
Armet Telephus hasta.

Hoc & pondere corruet,
Hoc & robore concidet,
Hoc & corpore vulneri,
His patebit in armis.

Heu, iam verbere carnifex,
Et toto insonuit flagro!
Armatur gladijs rota,
Strictus mucro coruscat?

Quantus sanguinis it latex!
Quot in frusta caro volat!
Pellis iam nihil est foris,
Nihil sanguinis intus.

Ah, dehiscis in intima
Tortor viscera! quin manus

Ergò & vulnera ſuſtines,
Vulnus eſt caro tota?

Nouis, barbare, ſi potes,
Locum quęre doloribus;
Nouis quære probris; nouum
Quære in corpore corpus.

Nam quod vulneribus patet
Undiquáque perennibus,
Corpus non voco, ſed ſuo
Abſque corpore corpus.

Et quanquam cute floridum,
Quanquam carne ſit integrum,
Non his viribus, hac ferat
Hos ætate furores.

Quid ergò excutis? audio,
Emiſſarius hic locum
Probro captat, & altiùs

Nictu, quàm ferit ictu.

Hac hac nempe acie impudens,
Hanc impune feris; timet
Tales virgo quidem, & fugit,
At numquam excipit ictus.

Hæ sunt quas sine corpore
Pœnas vincere virgines
Solent; nam sine corpore
Ipso in corpore viuunt.

Sed quanquam nihil est loci
Lapsa carne recentibus
Pœnis, verberibus; probris
Nondum tota litauit.

O tenerrima virginum,
Sed fortissima martyrum,
Aude, quod superest, rotam,
Aude admittere ferrum.

Victimarius hanc tibi
Aram myſta ferox parat:
Non hanc, quidquid aget, tamen
Te mactabit ad aram.

Triumphas latro, & innocens
Eheu, tollitur in rotam, &
Uni tot iugulo immines
Myſtes impie cultris!

Bene eſt: ſuſtulit in rotam:
Ipſe ſcilicet è rota
Petitus cadit, in rota
Victrix virgo triumphat.

Audin' fulmineo ruens
Ictu diſsiluit rota?
O quantum implicat hoſtium!
O quos audio fletus!

Macte, vincis io pugil,

Falcatâ inueheris rotâ:
Hoſtis mordet humum, & tuis
Plaudit æthra triumphis.

Vincis, ſed ſine corpore
Iaces truncas vides, ſacrum
Tortor in caput impium
Stringit ferreus enſem.

LECTORI BENEVOLO

ISTERON-PROTERON.

MVLTA, *opinor, in his duabus exercitatiunculis præpostera notaueris (accurate Lector;) quia hîc etiam omnia festinata & præpropera. Hoc ipsum, quòd te posteriùs admoneo, cùm primo in limine admonitum & salutatum oportuerit. Quæ iccircò venia magis tua, quàm censura, uel inuidia digna. Mirabere potiùs, cur ego ternione vnum, quem primùm premere debueram, hîc rursùs euulgarim. Voluntatem id postulantis, & penè flagitantis Academiæ vnius vniuersæ interpretatus imperio, maluj nominj meo cedere, quàm decedere obsequio. Quòd verò denuò excuderem, & bis (vt aiunt) ad eundem: ne hoc quidem peccatū*

meum est, sed semper alienũ. Nam quod mihi hactenus auctoritate imperatũ erat, nunc amicitia impetratum est: dignum & hoc indulgentia, vt alterum venia. Et sanè plus apud nos interdum valet officiũ, quàm obsequium. Adde quod is qui à me id enixè petiuerat, exigere poterat, & solus instar multorum erat. Excusaturus tamen eram, si minùs recusaturus; sed coram non poteram, nec in tanto locorum interuallo debebam. Denique omnia quæ prioribus typis exierant, distracta fuerãt, aut dißipata: nec mihi vel vnum à tam multis exemplar vendicare poteram, nisi forte detritum illud & lacerum. Neque, vt à mendis omnia suis absoluisset Calchographus, adeò aliunde innoxium erat vllum, vt ad tuum tribunal ire vellet, quin meo ante se sisteret, ex eóque ad te tantillò emendatius castigatiúsque rediret. At de eodem, inquies, etiam argumentó? Sty-

lum, audio, vertis & immutas; versus tamen & orationis formam eandem tenes. Hoc quidē aliquid habet varietatis, nihil verò, vel certè parum nouitatis. Dictionē (erudite lector) mutare potui, consuetudinem abrogare non potui. Quis enim ego, quantillúsque sum, vt tantæ támque sapientis Academiæ decreta rescindam? Hæc cùm nostris, tùm Collegij Aquitanici alumnis edixit, vt in æde Carmelitarum oratione, poëmatio, elegia, & lyrico Christianæ Palladi Catharinæ annuum Pæana pro solenni hymno, conuocatâ, & in vsitatis Magisterij symbolis audiente Academiâ, è pulpito dicant, idque ad dignitatem inter sacra, ad æmulationem alternis. Formā tibi, vt rationem vel oculis capias, in vno Programmate exhibeo. Illa vtrobiq; vna est, oratio vtrobique diuersa. Lege, vt eligas: elige, vt legas.

SALVE & AVE.

PROGRAMMA.

HVC ASPICE

LECTOR,

AC SVSPICE.

VIRGO VERE VIRAGO

CATHARINA

Imperatori ſine copijs:
Militi ſine armis:
Philoſophis ſine Pallio:
Tormentis ſine corpore:

Strenuè congreſſa,
Viriliter oppugnat:
Facilè ſuperat:
Glorioſè triumphat.

NEMPE,

Quod illa olim geſſit in terris, repræſentabunt in æde Carmelitarum ſeptimo Kalendas Decembris,

Petrus de Loyac.
Ioannes Veyries.
Carolus Ferron.
Iacobus de Gourgue.

Collegij Burdigalenſis Societatis Ieſu Claßici.

Erit hîc, Chriſti miles, quod audias: non deerit quod aſpicias: immò neque quod ſuſpicias.

Feminam auditum accurreras, audies Philoſophum. Puellam ſpectatum aduolaueras: videbis virum. Expectabas ſanguinem: lac aſpicies, & in virgine ſuſpicies.

Hæc te huc inaudita ſpectatum, ſi minùs auditum excitent; vt quod hactenus audiebas, nunc aſpicias,

Imperatorem ſine copijs:
Militem ſine armis:
Philoſophos ſine pallio:
Puellam ſine corpore:

HIS ADDE,

Virginem non modò Viraginem, ſed penitùs virum.

HVC ASPICE, HOC SVSPICE.

IACOBO BIDERMANO SOCIETATIS IESV,

POETÆ INPRIMIS EXIMIO

S. P. D.

LEONARDVS ALAMAIVS eiusdem Societatis.

CVM *pluribus de causis* (Iacobe Bidermane, vir eruditissime) *Ioanni Estioto necessario meo multùm me debere profiteor; tùm hoc nomine vel plurimùm, quòd tibi ego sim ex eius sermone cognitus, & ex ignoto amicus propè factus: sic saltem ille scribit his literis, quas ad me Roma postremas dedit. Insinuat etiam homo nostri amantissimus, tuique* (*vt mihi significat ipse*) *studiosissimus, de me Romę alijs se quibusdam locutum viris nostræ Societatis eruditis, quasi ego ali-*

ſophiſticas, at ſacras, quas ante ſex annos euulgare coactus eram, typis maioribus excuderam, minoribus haud alia de cauſa nunc recudi, quàm vt ad te cõmodiùs peruenirent. Iamdiu enim eſt ex quo ambieram, & ſanè affectaram, aliquid ad te eiuſmodi meum allegare; atque hoc abs te petere, vt & legere velles, & ceris præterea tuis notare ne grauarere. Pauculos igitur hoſce verſiculos diſsipatis quibuſdã pagunculis, quàm libello propiores coniêci temerè in faſciculum, cùm nihil eſſet ad manum, quod citiùs aut faciliùs mitti poſſet. Adde quod Procuratoris Prouincialis itinere vrgebar, qui in VI. non. Septemb. indixerat. Quanquàm eo me denique Typographi vana fides adduxit & reiecit, vt dùm diem ex die trahits contráq; Procurator properat, meæ tibi literæ ſolæ redditæ ſint: hoc eſt, ipſum quod commendabant & offerebant munus, tribus mini-

mùm hebdomadis præuerterint. Habebam quidem posterioris curæ, stylíque longè maturioris, ac (ni fallor) melioris alia: sed quia multò maioris voluminis ea erãt, vecturæ sumptus metuebam: neque te profecto volebam qui lautiore abundares, merce adeò mala & obsoleta onerare. Leges tamen, qualecúmque illud est, quod ad te mitto, amico animo atque beneuolo. Non quod tibi de me, meísque integrum iudicium non relinquam, sedulò enim animaduertas & seriò moneas velim, si quid, quod vel minùs placeat, occurret. Verùm quia timere poteram ne me tui omninò similem esse cuperes, & nostra hæc ad tuorum elegantiam, & eruditionẽ exigeres;

Adte tam longo qui adrepimus interuallo.

Ego enim (Bidermane *) tua illa imprimis epigrammata non modò cum antiquis, cuiuscúnque claßis illi sint, acuminis bonitate, nitore sermonis, & facilitate*

carminis compono: sed eorum etiam tibi confirmo me legisse neminem, qui tot, tantaque dignitatis, leporis & elegantiæ in vnum volumen hucúsque coniecerit. Hoc verò singulari, tibíque propria laude dignum semper iudicaui, rara te ac latina, nec à quoquam veterum putidè expressa locutione vti: quod sanè fecisse paucissimos animaduerto. Dicam itaque, non mei erga te studij commendandi causa; sed quod tibi noster coràm confirmet Estiotus, me hîc iuuentutem nostram ad huius tui libelli verè aurei lectionē excitasse ac dedisse etiam pluribus nostræ Societatis hominibus in manus; qui eum mea primùm commendatione studiosè legerunt, tùm verò sponte sua lectitarunt, & mirificè probarunt, ac vehemēter admirati sunt. Audio te illum centurijs aliquot epigrammatum auctiorem emisisse: gratulor equidem tantæ tuæ ingenij copiæ ac felicitati, authórque sum

atque hortor, vt etiam atque etiam augeas; numquam enim huius generis libri ita crescunt, vt importuni esse possint. Illum mihi sic auctum, vnáque Heroum libellū, quem nunc primum edidisti, amicus ille communis magnoperè pollicebatur. Expecto in dies vtrúmque, & quidem cupidissimè. Gratiores tamen mihi futuri sunt si tuo nomine mittantur; & verò gratissimi, si tantum munus tuis ad cumulum literis ornaueris. Age autem quid tuo illo Ignatij Breuiario factum est? ego ipsum, cùm primùm apparuit, arripui, osculatúsque sum: quin etiam duodena eius exemplaria totidem amicis latinitatis peritis, studiosísque distribui. Equidem simile quidpiā de Xauerio moliebar, & vicesimum iam caput procedebat, cùm hoc tuum in meas manus incidit. Itaque ab eo labore statim auocatus sum non modò similitudine operis, sed maximè præstantia, quam me as-

ſequi poſſe deſperabam. Nihil tamen, hoc etiam amicitiæ ingreſſu, diſſimulabo. Quoniam in eo me genere interdum amo, placuit mihi præ ceteris tuus hic libellus: accuratus & comptus erat ſtylus, ac prope comicus, efficax admodum atque exquiſitus. Hoc aliqui in tali argumento minùs probare viſi ſunt: quanquam & ipſi alioqui ſuſpiciebant. Hoc ad te ingenuè & candidè pro cæli Gallici natura. Amas tu candorē iſtum, ſi ex tuo ſcribendi genere animum rectè interpretor; méque amabis, opinor, vbi magis ac magis meis ex literis noueris; quas tibi deinceps, niſi moleſtum erit, ac reſpondere paratus es, frequentes deſtino.

VALE.

PETROCHORÆ, IX. ID. Octob. Anno M. DC. XXX III.

